

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1779

Auteur(s) : Hugues d'Amiens, Rouen (archevêque)

Bénéficiaire(s) : Roger, Saint-Wandrille-Rançon, Saint-Wandrille (abbaye, abbé)

Genre d'acte : lettre

Authenticité : non suspect

Datation : 1153

Action juridique : confirmation générale

Langue du texte : latin

Analyse

Hugues, archevêque de Rouen, confirme et prend sous sa protection les biens de l'abbaye de Saint-Wandrille, et il concède en particulier à l'abbaye de Saint-Wandrille l'église de Saint-Saëns et toutes ses dépendances. Cette église, qui avait été désolée par la tyrannie laïque, venait d'être arrachée des mains du châtelain de Saint-Saëns par Hugues, qui la confie à l'abbé Roger afin qu'elle soit réformée et qu'elle retourne à un état religieux convenable.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Rotomagensis, n° XXII, col. 24-25.

Texte établi d'après a

Hugo, Dei gratia Rotomagensis archiepiscopus, dilecto filio Rogero Fontanellensi abbati ejusque successoribus canonicè substituendis, in perpetuum. Pontificalis cura nos admonet et devota filiorum nostrorum compellit petitio, ut ea que locis religiosis discreta consideratione contulimus nostre auctoritatis munimine in perpetuum duratura firmemus. Hoc si quidem pia provisione antiquorum patrum consuevit benignitas, ut bona ecclesiastica auctorum suorum memoriam viri Dei observantia representent, et contra pravorum hominum infestationes ex pontificali attestazione robur et tuitionem obtineant. Ea propter, dilecte in Domino fili Rogere Fontanellensis cœnobii abbas, personam tuam religionis et scientie gratia decoratam paterno affectu amplectimur, et gregem tibi commissum tamquam devotos filios diligere et honorare intendimus. Unde bona vestra que in presentiarum, Deo auctore, posidetis, vel in futurum modis rationabilibus poteritis adipisci, sigilli nostri attestazione firmamus, et sub nostra et Rothomagensis ecclesie protectione suscipimus. Inter que ea propriis nominibus exprimenda duximus que nostri pontificatus tempore et nostra largitione propria accipere meruistis. Ecclesiam igitur beati Sidonii que a multis retroactis temporibus desolata extiterat, et laicali tyrannide ex prava consuetudine premebatur, de manu ipsius castri domini, ecclesiastica censura extraximus. Quam communicato fratrum et filiorum nostrorum consilio ad reformandum in ea religionis ecclesiastice statum tibi, Rogere abbas et ecclesie tue custodiendam, reformandam et jure stabili in perpetuum possidendam concessimus. Statuentes ut beati Sidonii ecclesia cum pertinentiis suis ad sollicitudinem et dispositionem tuam pertineat, salvo in omnibus jure pontificali vel parochiali. Hec autem que subnectimus bona sunt ipsius ecclesie, videlicet decima totius parochie, tam in terris quam in hortis et in molendinis, et decima censuum et thelonei, et unum molendinum proprium et hortus molendini, et gardenum proprium ipsius domini Mathei ex donatione sua monachis in eleemosyna concessum, et decima furnorum, tam in presentiarum existentium in villa sancti Sidonii et Osmunville, quam in posterum faciendorum, et decima vivarii, et decime... orum, et censuum in Hers. In Casneio, totum feodum Restoldi de Druella, tam in terris quam in silva, cum hospitibus apud Rovill. De feodo Roberti Harenc decima unius molendini, et unus hospes, et unus campus. Apud sanctum

Sidonium terram quam dedit Ric. præpositus juxta castellum, et campus Presoldi apud Hubanmanvill. II.º orti et III.º acre terre super quarrariam, 3 acre in valle Benedicti. Acra terre una super molendinum presbyterorum, due acre et campus Abeline apud Tiliam. Unus hospes et decima molendini apud Bussoriam. Due garbe de feodo domini sancti Sidonii, et decima molendini, et sedes grancetie. Apud Osmunvillam duos hospites, et campus Olcorum, et decima omnium molendinorum et censuum, et duo alii campi apud Bellum-montem, due garbe de feodo domini sancti Sidonii. Apud S. Martinum-Album due garbe de feodo eodem. Apud Brichennie 5. sol. de 2. vavassoribus, et de uno eorum servitium equi, unum de feodo Osmundi. Apud Novum-boscum 15. sol. in ecclesia et cantuaria, et unus hospes. Apud Bonum - Maisnil 12. sol. in ecclesia et cantuaria, et unus hospes. Apud sanctum Germanum in ecclesia 5. solid. et 2. garbe de feodo domini sancti Sidonii, et de 2. hospitibus 5. solid. et 6. capones. Apud Vadum decima de feodo Augi. Rursus in Casneio due garbe de feodo Fuelle. Apud Spinetum due acre de feodo Guadini. Apud Puteol. 3. acre, ibid. 2. acre de feodo Hugonis Holardi. Apud Freauvill. tota decima de feodo domini sancti Sidonii, et decima molendini, et unus hospes, et sedes grancee. Apud Novam-villam dimidia ecclesia, et dimidia decima, et 6. sol. in ecclesia. Apud Basleium dimidia ecclesia, et dimidia decima, et decima molendini, et unus hospes. Apud Eschethevillam ecclesia cum tota decima, et quedam mansura 4.º acrarum terre, et 2. alie acre, et 2. hospites, et decima molendini. Rursus apud Hubanmaisnil tota molta, et similiter apud Perditam-villam molta. Item apud S. Sidonium molta territorii ubi vivarium factum est, et molta de feodo Gunduini, et molta mansionis Guillelmi Rosselli. Præterea ecclesiam de Greinvilla, quam multo tempore manus laïca violenter occupatam tenuerat, et contra sacrarum institutionum decreta ab ecclesiastico jure privaverat, nos eam ad sortem sanctuarii Dei reducentes, tibi, Rogere abbas, et ecclesie tue cum prebendis et terris et omnibus ad eam pertinentibus in perpetuum possidendam concedimus, et presentis scripti nostri auctoritate firmamus. Hec et que justa sunt, conservantibus sit pax et misericordia a Deo patre nostro et Domino Jhesu nostro, ut et in presenti de fructu pie operationis gaudeant atque in futuro pietatis divine mansuetudinem et gratiam eterne consolationis inveniant. Si quis autem adversus ista que nos paci posterorum providentes, legitime firmavimus, aliqua fraude vel malignitate venire attemptaverit, vel attestationis nostre munimentum temerare præsumpserit, in presenti traditus angel..... divine subiaceat maledictioni, et nisi penitens cito resipuerit, ad satisfactionis remedium convolaverit, percussat eum in die furoris Domini animadversio eterne ultionis. Actum est hoc anno Incarnati Verbi M.CºLIII. regnante in Francia illustri rege Ludovico, principante in Normannia nobilissimo duce Henrico. Ego Hugo Dei gratia Rothomagensis archiepiscopus. § †. Ego Philippus Bajocensis episcopus. § †. Ego Arnulfus Lexoviensis episcopus. § †. Ego Rotrodus Ebroicensis episcopus. § †. Ego Egidius archidiaconus. § †. Ego Gaufridus decanus et archidiaconus. § †. Ego Osmundus archidiaconus. § †. Ego Radulfus thesaurarius. § †.